



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117867

§. 32. Epistolæ Lupi Ferrariensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)

vero aliis hujus Abbatis epistolis quanta fuerit calamitas cognosci potest. Quemdam amicorum ad se venturum sollicitè monet, ut viam tutissimam eligat, in regno enim Regis nostri Caroli, inquit, via publicæ a latronibus infestantur, cum rebus novandis multi Principes intenti sint. Nihil frequentius quam rapinas impune perpetratas, vimque innocentibus illatam, audias. Ergo simul proficiscentium societas tibi quærenda est, quorum numerum & fortitudinem improbi pertimescentes arceantur, aut si invadere vos ausi fuerint, repellantur.

§. XXXII.

Epistolæ Lupi Ferrariensis.

Sub idem tempus Lupus Ferrariensis epistolam ad Benedictum Papam dedit deferentibus duobus Monachis suis, propria voluntate ad SS. Apostolorum limina pergentibus. Litteras generales commendatitias ad omnes Episcopos Italiæ & Galliæ & ad omnes Fideles directas non solum a Lupo Abbate suo, sed etiam a Venilone Archiepiscopo Senonensi Episcopo suo Diocesano acceperant, in quibus explicite dicebatur, ipsos utriusque licentia esse munitos. In Epistola ad Papam dicit Lupus, se quondam Leone Antecessore ipsius Petri Cathedralis occupante Romam missum. Ejus Bene-

Sæculum IX.
A. C. 857.

ep. 140.

Lup. ep. 101.
102.

ep. 103. v. ep.
66. 67. 68.

Sæculum IX. Benevolentia commendat ambos Monachos peregrinantes, rogatque, ut Romanæ Ecclesiæ Ritus & consuetudines edoceantur, unde ipse deinde haberet Regulam certam, quam variis diversorum locorum ritibus posset objicere. Item Papam rogat, ut sibi opera illorum Monachorum mittat quosdam libros quos desiderabat, & in Francia invenire non poterat, videlicet, Commentarios S. Hieronymi in Jeremiam a Libro sexto usque ad finem, Ciceronem de Oratore, duodecim Libros Institutionum Quintiliani, & Commentarium Donati in Terentium. Promittit, curæ sibi fore, ut cito describerentur, quos deinde bona fide esset remissurus. In alia epistola quemdam amicum rogat, ut sibi bella Catilinæ & Jugurthæ Sallustii, & Orationes in Verrem Ciceronis afferat. Nempe eruditorum Abbatum studium & Monachorum ipsorum labor optimos Antiquitatis tam Ecclesiasticæ quam profanæ libros nobis conservarunt.

ep. 140. v. ep.
69.

§. XXXIII.

Tractatus Hincmari de Prædestinatione.

Flod. l. 1. c. 15. Eodem circiter tempore videlicet anno
Maug. diff. c. 38. 39. 857. Hincmarus primum suum opus
Hincm. præf. 1. de Prædestinatione scripsit. Concilio Valentino soluto Remigius Archiepiscopus